



(330.e)



11

DE  
MORBIS LITTERATORVM EPIDEMICIS  
EORVMQVE RECTA SANANDI RATIONE  
BREVIS COMMENTATIO

Q V A  
V I R O  
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
I O A N N I D A V I D I  
R E I C H E L I O  
K R U M H E R M E R S D O R F I O M I S N I C O  
MAGISTRI PHILOSOPHIAE HONORES  
N V P E R  
IN IPSVM COLLATOS  
GRATVLATVR  
SOCIETAS AMICORVM QVORVNDAM  
A V C T O R E *M. Franzio.*  
ANTONIO FERDINANDO PHILIATRO  
M E D . P R A C T

---

L I P S I A E  
LITERIS VIDVAE LANGENHEMIAE

MORIS LITTERARUM EPIDEMICIS  
FORVMQVE RECITA SANVNI RATIONE  
BREVI COMMEMORATIO

A V I R O  
CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
I O A N N I A V I D I  
H E C H E L I O  
M A G S T R I P H I L O S O P H I C E H O N O R I S  
N A P P R  
I N I P S A M C O F F E T O S  
C R A T A V A T A  
S O C I E TATIS AMICORVM Q U O R A N D V M  
V A C T O R I E  
A N T O N I O F E R D I N A N D O P H I L I A T O  
M E M T R A C T

L I P S I A E  
LITTERIS VIBAVAE FUNDAMENTIS

VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

R E I C H E L I O

GOTTLIEB LEBRECHT GROSSE, Chemnic. Misn. Th. St.

CHRISTIANVS FRIDERICVS IOB, Adorfens. Misn. Th. St.

SAMVEL GOTTLIEB FIEDLER, Lauenstein. Th. St.

IOANNES JOSEPHVS HORN, Giesmannsdorf. Sil. I. V. St.

SAMVEL FRIDERICVS VOIGT, Eubens. Misn. Th. St.

CAROLVS GOTTFRIED KRAVSE, Schwarzenb. Misn. Th. St.

CHRISTIAN. FRID. GVIL. SCHWEIDNIZ, Belger. Saxo. Th. St.

ANTONIVS FERDINANDVS PHILIATER, Med. Pr.

**P**oslequam nobis renunciatum est de summis TIBI honoribus in philosophia artibusque liberalibus tributis, tanta animum affecit laetitia nostrum, ut TIBI fausta quaevis propter integerrimam, quae per multos iam annos inter nos intercessit, amicitiam precari constitueremus; amor ille sincerus, quem TIBI, elegantiae doctrinae tuae, TVIS que debemus virtutibus, quemque ultro offerre nostrum esse existimamus, vix concedere videbatur nostra vota pro TVA salute nuncupanda arcis circumscribere cancellis et tantummodo in priuatis significare parietibus, potius palam TVAS virtutes profiteri officium exigebat, unde nostrae amicitiae monumenta perpetuo duratura exstruere curauimus. Verum, qua ratione huic satisfacere vellemus officio, non statim inter nos conuenire potuimus, nostri enim amici, deliciae et ornamenta nostra, illo ita fungi volebant, ut omnis a nobis vanae gloriolae iactatio et commodi cupido procul abesset:

\* 2

nam

nam eo, quo plerique gratulari solent consilio, id est, ut conuiuijs lautis  
intersint, hoc non aggressi sumus opus, medice enim nobis est viuendum,  
pingues ideo epulae nostrae non conducunt sanitati, quam ob causam  
omnem prandii adparatum recusamus, ne cum aliis eandem sententiam  
sequi videamur; quapropter eiam medico prouinciam animi nostri sen-  
sus TIBI declarandi commisimus, qui et propter artem, quam profite-  
tur, nostrae sanitati et utilitati publicae maximopere inferuire studet,  
de cuius animo ita sumus certi, ut contrarium nobis persuaderi nullo  
modo sumus concessuri. Accipias itaque velim eo, quo soles, animo nostra  
haec minutcula, quae etsi omnibus prorsus ornamentis ac elegantia sint  
destituta, tamen ab animo TIBI deditissimo profiscuntur, et quis est,  
qui sinceritas et fides nostra displiceat? Certe TIBI, VIR CLARIS-  
SI ME, AMICE INTEGERRIME, persuadere poteris felicis-  
simum illum diem, quo TE praemissa eximia tua doctrina dignis atque  
honoribus a laudatissimis viris TIBI decretis ornatum conspicere licet,  
grata animi recordatione semper imis infixum esse mansurum medullis.  
In laudes TVAS quidem excurrendi amplissimus nobis aperitur campus,  
quas ne paginae ceperint, si iis enarrandis immoraremur; sed modestia  
TVA, quam offendere maxima esset iniuria, nobis haec silentio prae-  
tereunda praecepit, cui eo magis morem gerimus, quo magis TVVS  
fauor singularis, quo excidere ne vlo quidem optamus tempore, nobis est  
gratus atque acceptus. Amicitiae vero nostrae hoc tribus velim, ut  
votis ad Deum ter Optimum Maximum pro TVA salute suis fausta  
quaenam TIBI precemur: sit TIBI semper praeslo perpetuo fauore  
aeternum numen, omnes TVAS actiones ita dirigat, ut eius gloria pro-  
moueat, TVA que in dies augeatur felicitas. Concedat nobis gau-  
dium TE mox maioribus honoribus decoratum omnique felicitatis genere  
tumulatum videndi, sic enim nobis nunquam occasio deerit TIBI TVIS-  
que demonstrandi nos esse eos, qui TE admiodum delectentur. Quod re-  
liquum est TE rogamus, ut et in posterum nos TIBI commendatos ba-  
bere velis, ad nos quod attinet semper in eo erimus multi, ut intelligere  
posses nos TIBI esse deditissimos atque amicissimos. Scripsimus Lipsiae  
Dominica Inuocauit c. I. 125 LXVII.

§. I.



§. I.

*Instituti ratio.*

**M**ore a maioribus nostris aequae ac nobis recepto, quem et propter eximiam utilitatem magnificare et propter praestantiam singularem laudare solemus, id potissimum curae nostrae mandatum esse intelligimus letores nostros de instituti nostri ratione, vel paucis vel pluribus verbis, prout id nobis placere aut necessitas rei exigere videtur, erudire atque illis sub commentationum nostrarum initium totius rei tractandae omnia proponere capita, vt eo facilius interni animi nostri sensus, quos, aut quorundam saepius obscurum, id est doctum, aut nonnullorum leue minusue accuratum scribendi genus, ne augurari quidem permittit, perspiciantur; hacque notitia imbuti eo melius quaestiones propositas sub examen rigorosum vocare atque acerrimo iudicio submittere possint. Cum autem consilium nostrum in conscribendis quibusdam commentatiunculis semper eo pertinuerit, vt utilitati omnium quam maxime inferuiriemus, diligenter inutilia exterminanda, centiesque dicta proscribenda esse duximus, et maxime prospexit paruis libellis imprimendis repente prelo silentium imponere; sic quoque iam nostram in eo collocauimus operam, vt temporis ratione habita breuiter eos morbos, quibus multos iam e litteratorum familiis oppressos conspicimus, recenseamus atque his malis medelam afferamus. Nolite autem existimare nos ea in medium prolatores esse, quea ab artis salutaris Partibus de litteratorum infirma valetudine variisque morbis litteris fuerunt mandata, quis enim ignoret peritissimos olim viros, SCHACHERVM, HOFFMANNVM, TEICHMEIERVM, IVCHIVM, WEDELIVM, STOCKIVM, RICHTERVM aliasque de morbis aequae ac sanitate litteratorum satis eleganter et accurate commentatos fuisse? De malo adeo hypochondriaco, solo iam nomine horrendo, tot scripta extant, vt ingentem bibliothecam ex iis confidere possit. Quid igitur nobis agendum fuisse censetis, cum quaedam prelo, nominis famam propaganti,

A

paganti,



paganti, cuius rei studio plurimi ducuntur, committere vellemus? Ex rapto vivere noluimus, tristissimum siquidem fatum, quod plerisque imminet, timore terroreque nos ita repleuit, ut calamus scriptorius in terram e manu decideret, nam

*Occidit miseris crambé repetita magistros.*

Minus honestum praeterea nobis esse videbatur, balneariorum et circumforaneorum parvas officinas spoliare et vetularum scrinia euacuare; igitur opima quaerebamus spolia, veterum Graecorum, Latinorum, Arabum et recentiorum quamplurimorum medicorum magna volumina, a paucis lecta et a paucioribus intellecta, euoluimus atque perlegimus, sed indices puta, spe certissima, fore, ut quaedam inueniremus, quae in succum et sanguinem conuertere possemus, sed omni prorsus solatio destituti libros illos seposuimus. Interim aliam ingressi viam gazophylacia, aurifodinas atque armamentaria medica perreptauimus, vt congregatis formicarum more aceruis reconditarum rerum thesauros aperiremus; verum ibi nulla vola, nullum vestigium, nedum ipsius nominis horum, quos descripturus sum, morborum mentio nobis occurrit. Proprio itaque Marte rem aggredi sum coactus, atque de morbis litteratorum epidemicis eorumque recta sanandi ratione pauca quaedam prescripsi; quo quidem in argumento pertractando ita versatus sum, ut *de morborum epidemicorum natura in viuensum quaedam praemittam, deinde graphopreyton describam, tympanitidem technicam delineem, cephalascridam depingam, chlorofisin virilem proponam et demum phtisios laevipuu naturam explicem.* Pollicor atque in me recipio hanc meam qualemunque operam omnibus breuitate quidem se commendataram, nouitate animum oblectaturam atque utilitati denique litteratorum consultaturam esse.

## §. II.

### *De natura morborum epidemicorum in genere.*

Ordinis ratio exigere videtur, pauca quaedam de genuina morborum epidemicorum indole praefari, vt primo statim obtutu nostri lectores quid sentiamus intelligent, eoque melius de labore nostro iudicium ferre possint. Sisyphi sane faxum mouere videar, si multis verbis explicare velim, quis nobis litteratorum veniat nomine? Omnis videlicet, qui litteras, et si etiam sint A B C, nouit, est litteratus: is etiam est litterati nomine ornandus, qui fauce auida omnes sapientiae fontes exhausisse sibi persuasum habet et maximas res molitur, doctum quippe hominem e supercilio adducto, ingressu tardo et sermonibus tumorem erudi-



eruditio[n]is levantibus intelligere poteris; quo autem iure tribuendum sit hoc nomen viro, omnia, quaecunque demum sciat, penitus cognoscendi, iudicio aliorum relinquo? Quos mihi proposuerim litteratos, meum non est disquirere, sed in prudenti lectorum optione reponam. Progrediendo ad morborum explicationem accedimus, eamque propterea addimus ne contra Logicorum leges peccemus, cum alias etiam experientia doceamus vocis notionem omnibus in arte medica tirunculis satis perspectam esse, qui quidem, antequam in scholis in eorum naturam causasque inquisuerint, grauissimis tamen morbis curandis se ap[er]tos esse existimant, ita ut fere illud de quibusdam medicis dici queat, quod in vniuersum de eruditis pronunciatur: eruditi nascuntur non sunt, scilicet naturae beneficio. Quid igitur morbus sit, possetne hoc aliquem nostrum fugere? Ea nimur hominis constitutio, qua actionibus recte obeundis ineptus est, et qua perpessiones sentit ingratas, dicitur morbus; grauior autem morbi est species, si quis sensu omnium communi sit defititus; igitur

*Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.*

Cum morbis vinculo necessitatibus propter primam statim syllabam mors sine mortis saltu timor est coniunctus, et sane multi diem supremum, non vi illata neque ex causis naturalibus, obire coguntur, sed funesto abripiuntur fato his praecipue calamitosissimis temporibus, quibus grauissimi morbi ciues quosdam academicos cruciare videntur, ita, ut si ipsis opem ferre recusemus summam iacturam virorum, non re et doctrina, sed nomine et opinione tenus, doctissimorum faciamus lugubraque vultu reipublicae litterariae appropinquantem interitum prospicere debeamus. Tot tantique Lernaeae similes hydrae in musaea irrepererunt morbi, epidemicorum nomine ab iis, qui Aesculapii sacris funguntur ministerii appellati et ab una eademque causa inueniti; horribilia illa monstra, Gallicae Hyaenae ad modum fauientia et optimae spei iuvenes virosque morti tradentia ciuili, communis causa, aeris nitrum una cum aliis particulis adscitis arsenici vel sublimati vim acquirens, progressuit. O lamentabile fatum, quod si vitare velitis diaetae legibus, ex sententia IUNKERI non quidem *Mosaicis* verum *Euangelicis*, morem geretis, et quanquam medice viuere fit pessime viuere, non tamen consilia praesidum medicinae spernetis! Aeris intempesies, crafftissimae nebulae his temporibus ortae, cibi potusque intemperans haustus, vigiliae et somnus, quies et motio, se = et excretiones et denique animi affectus, quas res vulgo non naturales salutamus, multis morbis pro-



creandis, nutriendis, fouendis alendisque largam praebent facultatem. Accedit et hoc quamplurimos nostrum hac in re peccare et potissimum eo tempore, quo honoribus academicis ornati lautis interesse videamus epulis, cui consuetudini et medici sese accommodare atque paecepta egregia, aliis diligenter commendata, negligere solent, sed

*Spes bene coenandi nos decipit.*

### §. III.

#### *De Grapsofyreto.*

Propius accedamus ad rem propositam, atque recenseamus eas morborum epidemicorum species, quas inter nostrates quam maxime obuias deprehendimus: primo igitur loco *grapsofyreton* ponere mihi licet, cuius morbi ne vllus quidem medicorum, quantum ego scio, fecit mentionem, quanquam negare non audeam eum et olim fuisse notum, quippe cum ex IV VENALE edoceamur atrocissimum hoc malum et eius aetate litteratorum inuasisse animos, sic enim ille:

*Laquo tenet ambitiosi*

*Confuctudo mali, tenet insanabile \*) multos*

*Scribendi cacoëthes et aegro in corde senescit.*

Germanico idiomate illud malum exprimerem: *das Außorfieber*, illudque quoad paroxysmos vehementiores cum furore vterino muliebris comparandum esse ac cum febri in omnibus fere indicis conuenire suspicer. Vera febrium natura in motu cordis, arteriarum ac venarum conuulsione cum aliarum partium variis symptomatibus consistit; sic quoque similem cachexiam grapsofyretos prodit, omniaque symptomata docent maximam venarum cordis adesē conuulsionem, quod ex serie orationis nostrae iam luculentius patebit. *Vena publica*, e sinistro cordis ventriculo ascendens et ramos cephalicae sinistrum et dextrum permeans, magnas in capite turbas excitat, quibus resistere perpauci audent, stimulantibus enim blanditiis ita constrictos tenet ipsos, vt sese totos voluntati huius venae dedant atque variis scriptis nominis gloriam adipisci et se muneribus publicis admoueri tentent. Anxia cordis palpatio et tremor ipsos inuadit, hinc spasmодici motus manus penetrant ut scalpello arrepto calamos scriptorios attemperent, quorum tamen extremitates cordis angore, cum meditatio rigida propter frigus eas in-

\*) IVVENAL. Sat. VII. v. 50. sq. non perperam illud malum insanabile esse credidit, hoc sensu, si esset malum haereditarium aut morbus chronicus, *Principiis obsta, sero medicina paratur.*

vadens fluere recuset et in chartam non possit coniici, dentibus admordent. Librorum magna tanquam aggeribus circumdatos copia conspicias, ex quibus apum quidem more varia colligunt, quia vero iis ingenium est praecox non dulcia mella, non bonus chylus, possunt confici; sed potius crudi et peregrini cibi prouenient frugibus comparandi nimia arte ad maturitatis speciem coactis, sed saporis gratia durationis que tempore destitutis, nam

*Si forte suas repetitum venerit olim  
Grex avium plumas, moueat cornicula risum  
Furtiuis nudata coloribus.*

Saepissime etiam illud accidere solet, vt societatem hominum per tempus quoddam fugiant et abditi in cella sedeant, eam interdum relinquant multisque obruti cogitationibus tanquam libellae alis destituta humi repant, redeant in cellam atque libellas imitentur in aurelias (*Puppen oder Verwandlungshülfen*) inclusas. Quemadmodum autem libellae aliquot diebus post alia forma prodeunt cum quatuor alis membranaceis et ore forcipiformi, sic quoque febri hac decumbentes exeunt e musaeis, cum foliis chartaceis ad prela aduolant, reique litterariae scriptis grauissima bella minantur, \*) prouocant hostes eosque audacter aggrediuntur. Vnum silentio praetermittere non possum symptoma, quod multum iuuat ad hunc morbum accuratius cognoscendum, aegroti eiusmodi fere, quales in Tarantismo occurrunt, commotiones habent; philaustria nimia se ipsis laudare suaque commendare opera sibi arrogant,

*Gaudent scribentes, et se venerantur et ultro  
Si taceas laudant, quicquid scripsere beati.*

Plura essent symptomata, quae his addi possent, tot enim esse perspicies, quot alphabetum habet litteras; sed potiora recensuisse sufficiat. Officii nostri praincipia pars in eo iesit, vt quedam de huius mali causis proferamus, quibus probe cognitis feliciori successu morbum hunc extirpare poterimus, cessante enim causa ipse quoque effectus cessabit. Eminet autem inter illas pruritus inclarescendi, nouaturiendi et contradicendi.

A 3

\*) Consilium medicum est commendandum:

*Frange miser calamos, vigilataque praelia dele  
Ut dignus venias bederis, et imagine macra  
Spes nulla vterior.*

Difficillimum reuera est patribus vim inferre liberis, at ex medicinae forensis legibus eos a crimine *παιδοχειρας*; absoluendos esse credo, hic enim adfuit causa mortis *praedispontens*.



dicendi. Nihil hic mortalibus arduum est, coelum ipsum stultitia petunt atque aeternitatem chartaceam magnis voluminibus edendis esse acquirendam existimant; verum summi eiusmodi viri ceciderunt in profundum omnemque operam ac oleum perditum esse suo docent exemplo. Nimius amor parentum aliam constituit causam, mater enim vel pater **71** filium tanquam egregium concionatorem, experientissimum medicum, aut celebrem iurisconsultum mature salutare cupiunt, auctores suasoresque ipsi existunt, vt studio eminendi ardeat, calcar stimulosque ipsi addere solent, nam

*Clamosus iuuenem pater excitat,*

*Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras*

*Maiorum leges, aut vitem posce libello.*

Hinc illae lacrymae. Minime tamen est concedendum causas commemoratas totum negotium absoluere, aliis adhuc rationibus iuuenes impelluntur doctrinae edendi partus, iisque procurandi nutrimenta, quae sanitati ipsorum nocent magis, quam profundunt. Scribendis libris quamplurimi Patronis commendari atque aliis praeferrri cupiunt, eoque citoius praemia tanta eruditione, quantam iactant, digna sibi decernenda esse desiderant; quod institutum, nisi ipsi facile iudicaretis quenam sententia sit ferenda, si dedicationes eruditiois abortui aut monstro praefixas confixeritis, sane crimine careret? Clasicos eiusmodi auctores cum iis virginibus in vnum ordinem referendos esse quilibet videt, quae ante tempus sibi constitutum dulcia matrimonii gaudia gustant et eius rei argumenta famae sua noxia produnt. Sunt et qui lucri causa manus ad scribendum admoueant, quique nummis, quibus inhiant, a bibliopola acceptis tanquam homines nimiae elegantiae splendidis induiti vestibus per vias vagare et virginum fauorem promererit fatagant. Et si quis ad modum Don Quixotti suam tot tantisque superatis calamitatibus inuenerit Dulcineam matrimonia contrahere spondet atque mature ea procurat, quae, cum aliquando muneri cuidam publico praefectus fuerit, ipsi summe necessaria esse videantur. Nunc formulas huic morbo aptas exhibebimus, remedii prophylactici loco hoc optimum erit: R. Magist. verae prudentiae **5j.** Elix. propri. Martis **5j.** Resina solidioris doctrinae **3fl.** Eff. antipraecipientiae **1fl.** Extr. herbae mimosae\*) q. p. **30** Fl. patientiae Gtj. M. D. S. Praefervatiutraenken aller **3.** Stunden ei-  
nen

\*) Vocatur haec herba alias *noli me tangere*. Felix, quem aliena faciunt pericula cautum!

nen Loefel voll zu nehmen. Quomodo autem in malo remouendo ver-  
sandum sit iam docebimus. Asclepiades quidem, CELSO auctore, \*)  
officium medici esse dixit: *vt tuto, vt celeriter, vt iucunde curet.* *Id  
votum est, sed sere periculosa esse nimia et festinatio et voluptas solet.*  
Ergo et nos, ne cura nostra tantum sit palliativa, per gradus procede-  
re constituimus, et diaphoreticis per poros cutaneos salia volatilia san-  
guinis expellere partesque putridas corrigere studebimus. R. Spir.  
anod. arbitrorum libris imprimendis publicorum Iij. Sal anondis (*He-  
chelsatz*) eruditorum W. Essentia amara votorum vanorum 3XII. M.  
D. S. Eine Coffee-Tasse voll Früh und Abends zu nehmen. R. Lixiuium  
criticorum acre W. Sal acidum Satyricorum J. Limatura philosophorum  
3ji. Rad. Alhandal \*\*) W. D. S. Laxiertraenken. His praesidiis  
rite, vulgo *ex methodo*, adhibitis aegrotos nostros in stupram (*Schwitz-  
kästen*) immittere possemus, leniori autem incedamus via et calido siue  
potius feruenti balneo eos a fatis graui liberabimus malo. R. Absin-  
thium Ephemeridum Mj. Hb. inimicitiae, Hb. ignominiae, Tusillaginom. \*\*\*) aa Mjii. Flagellum \*\*\*\*) grauissimorum virorum W. Sperma  
Sophiae W. Semina Momi 3XII. S. Species zum Schwitzbad. Infun-  
datur aquae Phagedaenicae (*Beitzwasser*) tantum, vt ad morbo laboran-  
tis collum pertingat.

#### §. IV.

\*) v. A. CORN. CELSI de med. III. 4. prius officium medici CHRYSOST. elegantissimus ille orator ac Presbyter commendat: *οι λαργοι οι πληττει, οι λαρ-*  
*ται πεπληγυσται διαρθρωται και θεραπευναι.*

\*\*) Alandal s. Colocynthis est citrulli species, pulposa, fructibus fungosa,  
amarissima et foliis in profundas lacinias dissectis, continet semina amaris-  
sima, vehementer purgat. PLIN. XX. 30. asserit eam a Chryippo medi-  
co et a Democrito in cibis fuisse damnata, huic autem morbo maxime  
accommodatam esse intelliges. DIOSC. IV. 178. varia, quibus κολοκυνθις  
gauder, nomina recent, appellatur enim: cucurbita caprina, cucurbita  
Alexandrina, cucumer amarus. Ebr. حمارة et حمارة Arab. جاروس  
Gr. τοννη ἀρπα. En, lector, meam eruditionem!

\*\*\*) Alio nomine vocatur filius ante patrem. Quidam criticorum creditit  
omissa verba esse desiderata, atque allusionem fieri statuit ad historiam Dae-  
dali et Icari, cereis pennis carcerem relinquentes, cum vero filius ante pa-  
trem esse voluerit atque soli appropinquauerit, prolapsus in aquam periit.  
Haec fabula docet, principium rationis sufficientis ex scholis eruditorum  
non esse proscribendum.

\*\*\*\*) Hoc scilicet sanguis aestuans ad quietem ducitur, quo usus est praec-  
ceptor poetae, cuius ista vox:

*Define, Praeceptor, posthaec non carmina dicam.*



## §. IV.

## De Tympanitide technica.

Tympanitidem proprie sic dictam speciem hydropis esse C E L S V S \*) profitetur: *Nam, ventre vehementer intento, creber intus ex motu spiritus, sonus est;* plenius autem sic potest definiri, est tumor abdominis fixus, aequabilis, durus et a pulsione sonum edens, a partium et viscerum membranaceorum inflatione tetanwdes ortus. Illum a nobis describendum morbum non ad hydropem referre possum, quamquam inficias ire nolim originem huius morbi genuinam ex nimia flatulentia deriuandam esse, quapropter ei hoc nomen recte tribuendum censeo. Vocis enim si deriuationem spectare velis a gr. τυμπανίζειν, grandem sonum edere, descendit; sic quoque litteratorum nonnulli magnos excitant strepitus Mercurio viuo igni admoto similes, qui ingenti cum fragore totum fere aerem replet et celerrime sine spe alicuius commodi inde emanantis auolat. Veruntamen iniurii sumus in nostros aegrotos, si eos propter has malas affectiones inutilibus terraे ponderibus associare velimus; qui viui quidem virtutis et meritorum inuidia laborant, mortui autem, fama ipsorum longe lateque dissipata, celebrantur; excoriati enim post mortem adhuc sicut asinorum pelles utilitati publicae inferuiunt. Indolem igitur et naturam huius mali in praua litterati affectione esse collocandam intelligimus, qua totum eius corpus, in primis vero caput flatulentia docta ut vaccarum vbera lacte turgentia intumescit, grandes vbiique spargit sonos, vapores exhalationesque vbiique locorum dissipat, atque ad modum *Aetuae artificialis* L E M E R I I Chymici magnam vomit eruditio nem atque aegrotum a solida rerum deterret cognitione. *Technicam* eam vocavimus, vt appareat, qualenam discriben inter hanc et naturalem intercedat, ab artibus liberalibus, quarum cognitionem penitus imbibisse sibi imaginantur, quarum tamen ne rudimenta quidem didicerunt; artes liberaliores igitur non quadam necessitate, cui ne vllus hominum resistere possit, sed casu quodam fortuito ex peruerso earum vsu haec mala protulerunt. Miserriam hanc conditionem ex symptomatibus clarius exponere licebit: adducto supercilio ingrediuntur, aliosque despectui habent, se in omni litterarum genere versatissimos esse contendunt, hancque ob causam omnibus colloquiis doctis, de quacunque demum instituantur re, se immisscent, omniaque suis iudiciis subiiciunt, auctoritate dictatoria res propositas

\*) CELSVS l. c. III. 21.


positas decernunt, cachinnumque extollunt si vnum vel alterum sibi  
consentientem nasci fuerint. Ilia ipsis rumpi existimes verbis ventum  
spirantibus, quibus res heroicas narrant auramque popularem inter eru-  
ditos captare, admirationem et laudem adipisci tentant; hinc testimoniis  
singularis prorsus doctrinae undeque collectis et interdum auro ar-  
gentoque emitis nominis gloriam differre curant, vnde quoque accidit,  
vt tanquam cuculi inter eruditos famam propriam proclament et suo se  
indicio prodant, in eiusmodi virum haec cadunt verba:

*Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus  
Nescio quid tecum graue cornicaris inepie,  
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.*

Procellosis ventis aduersarios prosternere atque argumenta eorum dissi-  
pare student, ex quo luculenter apparet de ipsis Horatianum illud affir-  
mandum esse: *eos ventorum regit Pater.* Viri *ægoβæτεντες* proferunt  
quidem verba eximia specie ornata atque diuersis, vt ita loquar, colori-  
bus pieta, sed bullarum, quibus pueruli delestantur, aquosarum fragi-  
litati sunt simillima, id enim agunt

*bullatis vt == mugis  
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.*

Ipsimet multos ex omnibus facultatibus hoc morbo prostratos vidimus,  
hac labore singulatim philosophos infectos cognouimus, et quid mirum  
hoc alicui videri possit? Nonne ipsis aeris elasticitas, grauitas, vento-  
rumque notitia inesse debet? Ex professo igitur doctrinam ventorum  
intelligent necesse est, at cum philosophia omnibus disciplinis ita infer-  
niat, vt nulla sine ipsa addisci ac diiudicari possit, patet et reliquas  
disciplinas hac contagione non carere. Permutos ex meo gratiose or-  
dine noui arti suae nimium tribuentes, qui grauissimorum morborum  
causam penitus tollere se posse profitentur, obliti quidem nequaquam  
se dominos sed potius naturae ministros esse, quid? quod et alios con-  
temnunt, qui in sanando non eadem via progredi velint. Inter Iuris-  
consultos multi reperiuntur doctores iuris vtriusque *Bullati*, quos non  
a comite Palatino creatos, sed aliunde hoc nomen adeptos esse tibi per-  
suasum habero, nouum enim ius naturae, nouum ius civile controuer-  
sum, publicum et quae ad Iurisprudentiam spectant introducere secun-  
dum ipsorum decreta conantur: auri fulminantis instar in republica Iu-  
risconsultorum tumultus et fragores grauissimos mouent, qui tamen  
paulo post facile remittunt. An vero ab hoc malo omnes diuinuarum



rerum periti liberi pronunciari possint, vehementer dubito. Capita  
 fidei et morum quidam leuiter et remisse explicant, nouas sententias  
 religionique contrarias fouent, in interpretandis oraculis diuinis suo  
 indulgent ingenio, diuersas interpretum opiniones e suggestu declamant,  
 eos errauisse auditoribus affirmant, suasque sententias rem totam, ut  
 aiunt, dirimentem solenni hac formula: *ego autem sic interpretor*, ad-  
 dunt, eruditorum dissidia narrant, debuccinant atque cum magna asper-  
 ritate assensum extorquent, quibus artibus aures animosque auditorum  
 fascinant; dici non potest, quantum res christiana exinde capiat detri-  
 mentum, cum ea consuetudo eruditorum dignitatem tollat et in praecipuis  
 fidei capitibus, quid credendum, quid fugiendum sit, propter erudi-  
 torum dissensum obscuret. O irreparabile damnum, quod in mife-  
 ros redundat mortales! A quibus potissimum causis haec orientur,  
 nunc cognoscite, spasmoidae omnium corporis partium affectiones,  
 neruorumque et cerebri vastissimi vapores largas manus tympanidi  
 praebent et omnes aegrotorum actiones omniaque verba tumida red-  
 dunt. Inuidia, misanthropia, lucri cupidio, vanae gloriolae captatio,  
 benigna decepti vulgi iudicia et alia huius fursus generia hunc morbum  
 augent, plurimum autem phantasiae tribuendum est, qua ducti haud  
 pauci sibi imaginantur se tantummodo omnes nosse litteras atque veri  
 lapidis philosophorum vnicce factos suisse participes; quare et eorum  
 fanatio difficillima redditur, ea enim experiundo verissima esse didici-  
 mus, quae olim omnium sapientissimus hominum monuit: Ιδον εὐθεῖα  
 δοξαντα παιδί ἔστω σοφον ἐιναι, ἐλπίδες μεντοι ἐσχεν αὐτον μαλλον  
 ἀντευ. Veruntamen omnem mouere lapidem et malum hoc, quantum  
 fieri potest, funditus euellere tentabimus, si modo nostrum non plane  
 aegrotis displicebit consilium. Opem ferre dupli ratione illo epidemic-  
 o affectis morbo possumus, externis pariter ac internis medicamen-  
 tis, spiritu volatili vagabundo repleta membra ad pristinum vocare sta-  
 tum prouidebimus. Patres venerandi artis salutaris per cucurbitas ven-  
 tum extrahendi operam nauarunt,

*Vacuumque \*) cerebro*

*Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat.*

Ego

\*) Colligo ex iis, philosophos plerumque homines ventosos esse, statuunt  
 enim nullum dari vacuum, cuius contrarium ex supra dictis elucet; hoc  
 vero nobis minime concedunt, alias enim auctoritate, quae olim in bar-  
 ba residebat, priuarentur.



Ego vero experimentis feliciter procedentibus aliam viam ingressus sum, ferreum tripodem super prunas ardentes collocaui atque igne chymico ex aegroti corpore super tripodem collocato materiam peccantem euaporandam ventosque rarefaciendos annis sum; ignis ille examinatorius duo phaenomena meis oculis obiecit, vel enim particulae quaedam superfites manserunt in vsus humanos conuertendae, recens siquidem in forma minutissima quasi phoenix e cineribus prodiit, vel caput tantummodo mortuum fuit relictum. Praeterea antiae pneumaticae vsus quoque saluberrimus est, et ea ipsa magnam ventorum copiam e pneumatomachis eieci, multi contra rugosam inflauerunt pellem et demum ranae, bouis magnitudinem aequare contendentis, fortem experti sunt,

*Dum vult validius*

*Inflare se se, rupto iacuit corpore.*

Interne autem carminatiuis prudens medicus suam exercere poterit artem, qualia sunt aromatica, aeria, spirituosa, volatilia, olea destillata, ignea quidem, verum maxime salutaria media, utpote, quae motum peristalticum intestinorum capitum augent, aerem ibi conclusum agitant atque opem ferunt desideratam. R. Sal intellectuale  $\text{H}\beta\beta$ , Spirit, sapientiae verae  $\text{W}\beta\beta$ . Eſſ. iudicii acuti Gjii. Extr. quantum est quod nescimus. 3j. Hb. desiderii plus discendi. 3j. Hb. ignominiae et derisionis aa. Mji. Incis. contus. coq. in  $\nabla$  sanae rationis, detur cum instrum. Clysm. pro literato. S. Windzortreibendes Clyſtier wider die blaebende Colic. Aliud R. Eſſ. dipſaci (Kartetschendipſel) philosophorum 3j. Gelatina hostium 3j. Spiritus arrogantium tollens Gj. acetum mordax Gjii. M.D.S. XXX. Tropfen fröh und Abends zu nehmen. Possunt etiam aures mordaci aceto laruari.

§. V.

*De Cephalascaridia.*

Ante omnia lectors commonefaciendi sunt, ne opinentur cephalascaridiam esse morbum illum castrensem, qui febris Hungarica therides, sive lues Pannoniae, sive cerebri vermis, cuius pleniorum descriptionem nobis SCHENCKIUS suppeditauit, audit; prorsus enim natus est morbus a nobis explicandus, germanice vocarem: *die Wurmſucht im Haupte*, primaria quippe eius sedes in capite esse deprehenditur. Ascarides inter cranium et duram matrem sibi fixum elegerunt locum, praecipue vero illa animalcula sinum frontalem occuparunt; maioribus nostris hunc morbum plane ignotum fuisse ex alto silentio



vbiique obseruato colligere licebit. SCHWAMMER DAMMIVS tria,  
 in quibus commorantur, loca commemorat, ventriculum, intestina  
 tenuia et crassa, et hepar; triplicis generis haec animalcula esse statuit,  
 maxima sunt *teniae* ferociores, mediae magnitudinis sunt *lumbrici* et  
 hi sunt vel solitarii, vel congregati et conglomerati, minima vero ani-  
 malcula *ascarides* sive *acari*, qui habent singularem stationem in inte-  
 stini recti margine, vbi quaedam sunt duerticula, ex quibus destillat  
 mucus intestinalis. Duabus obseruationibus rerum naturalium libros  
 locupletare poteris, si ea, quae iam tecum communicamus, annotare  
 velis; aliquando in sinu maxillari sinistro cuiusdam mulieris *ascarides*  
 residentes inuenimus, quos per mixturam balsamicam *Hb. Tanaceti*,  
*Ruthae* et *Absinthii*, tanquam olim gentiles augurum et pontificis con-  
 filio per carmen *euocatorum* ex oppidis obfessis Deos tutelares, euo-  
 cauimus. Proxime huic accedit *céphalascaridia*, en eius definitionem!  
 est eiusmodi hominis conditio corrupta, qua intolerabilis pruritus et  
 continuus alui cogitationum stimulus, quem gracci *τερεσμον* ἐνοιων ap-  
 pellant, excitatur; interdum testudinem sive tumorem pericranium  
 occupantem adiunctum habet. Ex his, quae vestro iudicio subiicimus,  
 huius morbi indeoles iudicanda est. Scribendi pruritus, grauissimorum  
 malorum pater, totum perturbavit caput, cerebrumque, cogitationum  
 laboratorium, functionum omnium animi et corporis officinam, empor-  
 ium denique artium atque doctrinae, sordibus vermium ita inquinatum  
 esse deprehendimus, vt muscae aestatis tempore omnes res stercore  
 conspurcare solent; deliria ingruunt, infirmi sibi non constant, de sua  
 arte quisque sermones incompositos haber, in eorum libris minus ac-  
 curata scribendi ratio, neque emendata vsuque recepta, vbiique est ob-  
 uia, saepissimeque fieri solet, vt magno Prisciano alapae in delirio infli-  
 gantur, vel etiam vernaculae linguae consuetudinem, nescio qua con-  
 tumacia, oppugnant. O si praecepsit CELSI tantum hi viri morem  
 gererent, de eo, cui caput infirmum est dicentes: *Scribere, legere,*  
*contendere huic opus non est, vriue post coenam: post quam nec cogitatio*  
*quidem ei satis tuta est.* Excrementa ingenii atque iudicii, quibus vasa  
 capillaria tunicae Schneiderianae, quae vasorum capitum cloaca est, re-  
 pleta et non raro rationis abortus et relaxamenta alterius symptomatis  
 loco funto, hinc construnctiones inusitatæ, verba ignominiosa et dura,  
 resque bonis moribus contraria ac verecundiam offendentia in sterco-  
 reis eiusmodi scriptis, quorum tanta est familia, vt totum forum iis  
 comburendis non sufficeret, inueniuntur. Vnde vero haec animalia  
 in

in caput? Per nares externum aerem haurientes. Experientia docti cognouimus odorem aromatum, piperis, nucis moschatae etc. vna cum aere in corpus humanum multa animalcula aut eorum semina inferre, quid mirum si inde varia exoriantur mala? Forsitan incredibile hoc eidam videri possit, nisi ipse huius rei testis essem, vidi cadauer difsecatum, cuius in sinu frontal erat materia purulenta a puluere sternutatorio proficisciens et per foramina in sinum frontalem deriuata; eodem modo haec res se habere videtur. Internam autem causam in separatismo litterario latente quererere debes, quo videlicet in deuia seducti neque maiorum auctoritati neque coaevorum consuetudini parere volunt, ambitione nimia commoti ea, quae per regulas grammatices et longum usum introducta sunt, amplecti recusant. Sapientissimum nostrae artis est monitum: antidota venenis esse opponenda, ergo quoque excrementa ingenii et iudicij excrementis \*) sunt efficientia, cephalarticas igitur formulas conscribam. R. Terra sigillata anthelmintica \*\*) W. Hb. Hellebori Berolin. (Niesewurzel) Schoenanthum vetustissimum (unser lieben Frauen Bettstroh) in sensu proprio q. p. S. Putuis Sternutatorius. R. Spir, prudentiae Gtij. Liq. elegantiae 3ii. Tinet. humanitatis Gr. XII. Extr. Craniolariae 3XII. M. D. S. XXIV. Tropfen auf einmal. Tumoribus curandis emplastrum est applicandum, venaesectio in fronte et sinapis nimium aestum sedant, si autem vermiculi iusto sint maiores, trepanatio est adhibenda; ipsum et vidi eiusmodi verinem trium vlnarum longum multisque ligonibus bidentibus cinctum, quem ex capite viri cuiusdam docti, antequam ad honores academicos adspirare poterat, ope trochleae, \*\*\*) qui saluti ipsius metuebant, eduxerunt.

## B 3

## §. VI.

\*) cf. aureus libellus, quem publici fecit iuris PAVLLINI sub titulo: heylsame Dreckapothecke.

\*\*) Terra illa ex Arabia nuper mihi fuit missa, inscriptionem hanc in illa

lego بَلْزَنْجَيْنْ excrementum vallum, optem' ut otiosus quidam litteratus, quorum ingens est numerus, hanc uberioris nobis describere veller, cui materiam dicendi copiosam suppeditabo, certe res litteraria maxima emolumenta inde sperare poterit.

\*\*\*) Trochlea ita dicitur musculus, quia quasi per trochleam circumrotatur, quae cochlea cartilago est, in oculo propendens, sita ad os maxillae superioris, iuxta internum oculi angulum; h. l. est instrumentum Führmannswinde dictum, ut dicitur apud QVINCTIL. Inst. orat. XI. 3. §. 56.



## §. VI.

## De Chlorosi virili.

Diu multumque meditando perpendimus, quodnam vocabulum, quo naturam huius, animos multorum occupantis eosque extērna specie Sirenum more decipientis, mali rite describere possemus, sit usurpandum; ossium innominatorum ad modum illud malum *innominatum* appellare constitueramus, animi vero nostri huc et illuc fluctuantis sententia mutata incidimus in chlorosin virilem, virgineo illo cum morbo optime conuenientem. Chlorosis per se spectata est species leucophlegmatiae ex sanguine viscido, qua sanguinis periodus impeditur cum mensium obstruzione et diaphoresi denegata, vnde fibris muscularibus obstructis ad quodus opus peragendum tardae et segnes evadunt. *Virilis* contra chlorosis sexui virilis peculiari, in primis iis, qui denominatione *Viri*, quo omnes sine viro ad matrimonium respectu eruditæ appellari solent, abutuntur et se iam viros praestare debere existimant; quae est cachexiae species cum tumore pallido aut alio colore faciei proxime huic accidente coniuncta, qua vehementissimo flagrant desiderio sub vexillis Cupidinis strages amatorias dandi. Accuratus rem considerantes videmus eos plerunque pallere,

*At te nocturnis iuuat impallescere chartis. \*)*

Inter-

\*) Non displicebit, vtj opinor, meis lectoribus, si, quod necessitas ipsa hoc postulare videtur, pauca quedam de *charta nocturna* addam, nam cum omnia Botanicorum volumina, quoquor eorum extant, huic plantæ ne mentionem quidem fecerint, operam meam non male in eo collocandam neque reprehendendam, sed potius laudandam esse existimo, si aliquam descriptionem hic suppeditem. Radices sunt duæ, similes plantæ pedis, in quinque striae diuisæ, terræ non adfixæ, sed maxime mobiles, pedioli duo, scapus succulentus, otarium sub flore in medio fero plantæ insitum, rami duo secundum illud:

*In medio ramos, annosaque brachia pandit.*

In quorum extremitatibus conspicuntur duo petala in quinque laciniæ dimidiæ, claviculis simillima, idem de hac planta, quod CICERO de vite ait, dici potest: *clavicularis suis, quasi manibus, quicquid nostra est, amplectitur.* Flos capitatus infundibuliformis, interdum umbellifer, papilionaceus, dimidiocapularis. Notatu dignum est eam per floris infundibulum alimenta recipere. Charta nocturna vocatur propter virtutem ἡγεμονιαν litteratorum, lucubrationibus admodum necessariam, producendi. Ad patrem huius plantæ quod attinet, ea primum Asia, quae et primorum fuit

Interdum alius color pallori est immixtus marmoribus figuratis simillimus, vt tibi fingere possis omnia e regno minerali genera hic collecta esse, v. c. cupreus, coeruleus, luteus atque violaceus, sic H O R. ait:

*Tinctus viola pallor amantium*

Et TIBVL.

*Nimius luto corpora tingit amor.*

Ad foeminarum conspectum gaudia ingentia pectora penetrant, quarum fauorem omnibus modis promereri cupiunt, quo adepto omnes gestus animi sententiam declarant, etenim

*Candida vicini subrisit molle puella*

*Cor tibi rite salit.*

Noctambulones imitantur, qui tecdis aedificiorum irrepunt, hi vero vrbis permeant plateas, illi ex opinione vulgi nomine ipsorum dicto in terram cadunt, hi magnas in eo delicias quaerunt, obuenientibus vt salutentur a virginibus, belle depictam eorum imaginem haec exhibent verba:

*Eft ardilionum quaedam == = natio*

*Trepide concursans, occupata in otio,*

*Gratis anhelans, multa agendo nihil agens*

*Sibi molesta et aliis odiosissima.*

Vespertilionum more obscuris abditisque in locis commorantur; scalas, ianuas, latebrasque natio illa lucifuga inhabitat, ita vt ipsoſ filios tenebrarum

fuit parentum, fuisse creditur, nunc in omnibus terrae obuia est traxibus. Diversae illius sunt species, est enim vel *vulgaris*, quae iterum aut *sylvestris*, aut *urbana*, aut *paganus* est, et ad *polyandria* refertur, vel *nobilior*, eaque aut *urbana*, aut *bortensis*, quae *monandria* et *dyandria* etc. annumeratur, et quidem vel cum vel absque spe thalami, tunc manet clandestina. Antiquitus vocata est *Chelidon* (i. e. avis) CICERO de Verre dicit eum auspicato a *Chelidone* surrexisse, nimius eius vsus pallorem producit. Quod reliquum est, hanc plantam tuo systemati plantarum et herbario viuo inserere poteris. Nonnulli Botanicorum affirmant ipsam apud nos singulatim in valle rosarum inueniri et papaueri erratico proxime accedere.



brarum summo iure appellare possis, saepissimeque ingemiscentes hunc sonum lamentabilem edunt:

*Hic ego mendacem fluitissimus usque puellam  
Ad median noctem exspecto.*

Qua quidem in conditione grauissima pericula hoc malo affectis imminent;

*Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent.  
Nec tibi parceret misero, trepidumque MAGISTRVM  
In cauea magno fremitu tollet LEO alumnus.*

Ordinis ratio exigit, ut paucis causas enarremus, ne autem nausea letoribus oboriatur, breuitate magis commendati quam sermone prolixii esse cupimus, potiores nominabimus, sunt: orium, nimia vini ingurgitatio, desiderium vel matrimonii praegustus, vel = = = ne quid grauius dicam, prouidaque cura ante tempus ea procurandi, quae futuris usibus sint destinanda, saepe etiam pietatis specie auram popularem atque piarum foeminarum \*) fauorem captare solent. Ulcera externa atque fonticuli exareafacti his annumerandi sunt. Chirurgiae operationes, quas in sensu proprio pro-quibusuis hominum facultibus, qui sanis manibus pollent, accipimus, exoptatum praestant usum, caeterum hoc vnguentum mirifice delebat. R. Essentia lignorum concentrata \*\*) **WVI.** Arundo sativa, *Spanisch Rohr* **WII.**, Virtica vulga-

\*) Peculiaris quaedam species eiusmodi farinae hominum, quae integras familias artibus suis decepta flagitorum sordibus polluit, iam PAVLI aetate exitit, sic enim loquitur: εἰσι δὲ ἐνδυνοτες ἐις τας δύκας, και διχραλτενοτες τα γυναικια σεσωρευμενα ἀμερτιαις, ἀγωνενα ἐπιθυμιαις ποιιλαις.

\*\*) cf. C. FR. PAVLLINI *flagellum salatis, s. Erzablung wie mit Schlaegen allerhand schwere fast unbefahre Krankheiten bald und wohl curirt werden,* multis additamentis propediem a me edendum. Veteres medici per ἐπιχρουν multa mala penitus tollebant, erat autem ἐπιχρουσι certa quaedam cum ferulis leuibus percussio, aptissima membris aegroti in tumorem effusis commode coercendis. GALEN. I. 14. *therap. κατακρουσιν* vocat. Naturae ordini conuenientissimum est remedium,

*Matum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter  
Vngubus et pugnis, dein fustibus atque ita porro  
Pugnabant armis, quae post fabricauerat usus.*

vulgaris. \*) Mj. Ficus manuum. \*\*) Q. P. Priapus tauri praepar. Ws. M. S. Eine niederschlagende Salbe, caue ne quid nimis, sequitur delirium, quo plurimum medicus ipse in vitae discrimen incurrit. R. Ess. pudicitiae. 5jv. Hb. Exspecta paulisper. Mj. Spir. Parce tempori. Jls. Rad. Pentaphylli. Mj. Extr. Clandestinae. 3ß. M. S. Kühltränkgen. Quibus adhibitis, si nondum ad sanam redierint mentem, in sophronisterium publicis sumtibus exstremum sunt ducendi, quibus malis perpetiendis martyres amoris his animum solatio erigunt verbis:

*O lovely Maid, then will I think on thee!*

### §. VII.

#### De Phisii iacuag.

Medici in eo consentiunt omnes phisini sue tabem proprie sic dictam ad mala minime sananda, quia vniuersi corporis consumptio, ex pulmonum vlcere orta cum febri lenta et continua, spiritus vitales absorbet, esse referendam; cui sententiae refragari non audeo, quippe cum quotidie experiamur quanta cum atrocitate ac violentia illud malum vires debilitare, pulmones consumere et praematura morte miserios opprimere soleat mortales; vnam tamen crebra et diligent obseruatione tabis inueni speciem utique sanandam, saepiusque mea opera eam sanaram testor, quam ob causam illam *τασιμον* nominare placet. Habetis hic indicia, pulmones morales cogendis atque solvendis nummis sunt minus aptae, marsupiales musculi animum erigentes vim amittunt, extensio ipsorum cessat, cuius in locum nimia et admodum noxia succedit contractio, omnis extabescit adeps, marsupium languescit atque obstruktionibus constringitur, musaea euacuantur et sterilia fiunt, vestes splendidiores, aurea argenteaque spectatorum virorum ornamenta detracta, dilabuntur. Fluidum nerveum

\*) Vrtica rustici vtuntur in gallinarum pullis a Venere arcendis.

\*\*) Ficus in genere a LINNAEO ad *cryptoganias* refertur, hanc autem speciem omisit, quapropter eam commemooro atque aduersus *cryptoganias* laudo; est similis pentaphyllo, monophyllus, quinque lacinias distinctus, disco plano, flore irregulari rubro, et cum corporibus admotus sit, sonum edente. Vocatur quoque *ficus aurium*.



ueum haerere incipit, pecunia enim est neruus rerum gerendarum; cuius rei rationes, vel nimia prodigalitas, vel spei mox implendae prolongatio, vel acquisitio nummorum exigua, quae vltior ple-  
rumque in literatos cadit, afferri possunt; porro, causa omnis mo-  
rbus succus mineralis infusus in musculum est, quo succo rarefacto  
in cuitate muscularum ipsum marsupium flaccescit et contractionem  
inducit. Age omnes animi neruos intendamus, vt hunc grauiissi-  
mum morbum profligemus. Nos, qui vsu didicerimus leuiori mor-  
bo prouocato grauiores submoueri, hac via saepissime opportunam  
naucti sumus occasionem nostrae quidem dignitati, aegrotorum autem  
saluti, mirifice consulendi. Via insistendum hac est: cogita de haem-  
orrhoidibus (*die guldene Ader*) producendis, quibus productis  
omnia ex voto succedent; probe vero tenendum est, ita nobis hic  
versandum esse, vt diaeta rite obseruata neque amittantur neque ob-  
struantur. Aurea sane regula est commendanda: disce opera et stu-  
dio adhibito multiplicationem, diuide prudenter, subtrahe parciter,  
caue ne fractionibus iterum in manus medicorum incurras, omnis  
enim tunc spes euanescit. Oblectabit si quaedam de modis haemor-  
rhoides acquirendi addamus, qui varii sunt, *legitimi* et *illegitimi*,  
*faciliiores* et *difficiliores*, a *facilioribus legitimis* fiat initium: R. Tinet.  
matrimonii. Q. P. Est. dotis. Q. V. Mixt. amplorum munerum a diuiti-  
bus datorum. aa. §§. saepius repetito hoc actu restitutio in integrum  
aderit. R. Mafsa haereditatis pinguis\*) Q. P. donatio inter viuos  
Q. V. vnius vel alterius legati perceptio. S. S. S. qua quidem in  
causa *legitimam* inter *Iurisconsultos* vfitatam vehementer depreca-  
mur. S. Abloesender Safft. R. Fortuna fauens, pro lubitu, ampla  
pecunia aduentitia forte, H.M. metallicarum partium vbertas. S.  
Stuerkende Puluer. Verum enim uero haec posteriora non sunt satis  
tuta et cum cautione usurpanda, laudem meliorem meretur Hb. Ma-  
tricaria, *Mutterpfennige*, et Chamandris patrum, *Vergis mein nicht*,  
S. Eine Lattwerge im Frübling und Herbste einzunehmen. Difficilius  
autem est illud studio et labore acquirendum. Properamus ad *ille-  
gitimos*, quos quidem aegroti, propter naturalem propensitatem  
ad mala, qua semper in vetitum nitimur, sibi eripi non patiuntur.

Aut-

\*) Captes astutus vbique  
Testamenta senum.

Auctoritatem medicorum summum hic saepe in discrimen venire,  
satis constat,

*Sed ira cadat nasa, rugosaque fanna*

*Dum veteres arias tibi de pulmone reuello.*

Vulgo vtitur R. Lapis alectorius. \*) ʒj. Poma amoris liberioris virginum aut mulierum \*\*) Mj. Christa Galli s. alectorolophus ʒj. Eſſ. Cornucopoides. \*\*\*) Gt. XII. M. D. S. Schwindſuchsbalsam. Vniuersalis autem remedii vim habebunt Pillulae Polychrestiae. R. Aurum et argentum, quantum ſufficit. Aqua vitæ. Gr. X. Hermæi lophi, Gʒji. \*\*\*\*) S. Schmerzſtillende Pillen im Nothfalle zu gebrauchen.

### §. VIII.

\*) *Lapis alectorius* in ventriculo gallorum reperitur. ALBERTVS M. refert, eum vi pollere, eos qui ipso vtuntur ditescendi, animum compariandi, diſertos reddendi atque virtute amatoria instruendi. Gallus ipſe commendatur a SINIBALDO in *Gencantropia* L. III. Tr. 4. p. 397.

\*\*) *Prodiga non ſentit pereuentem foemina censum;*

*At velut exhaufa rediuinus pullat arca*

*Nummus et e pleno ſemper tollatur aceruſ.*

\*\*\*) Hic in quamplurimis MS. variantem inuenio lectionem, loco enim *cornucopoides* legunt literis græcis κορνουκοποιοῦς, quod et melius, verterem: *qui cornua facit*, et tunc effet germanismus elegans ex gallico, ni fallor, ortus. Vocem conflatam effe ex Latinorum cornu et Graecorum ποντης, et tunc syllaba ηο πλεοναζη, et vltimas syllabas in plerisque codicibus incuria librariorum mutilatas effe coniicio. Per cornua autem ex orientalium populorum more omne felicitatis genus indicatur.

\*\*\*\*) VET. SCHOLIAST. interpretatur λιθος επωρευμένος ἵν την τοι  
Ἐρμος. RABBINI in *Talm. de idolol.* מִלְוָרָה Pers. جَسَّ.

Ii lapides ſic diſti, quos per ſuperſtitionem gentiles, Indi et Arabes viatores, vt Mercurium ſibi redderent propitium, in aceruum conſtruabant. In Saxonia pretiosa omnia, pulchrae quoque virgines Mercuriales et conſtructi mercatorum auri argenteique acerui ſic appellantur, qui quidem duplicitis ſunt generis, vel genuini, quibus cum fructu vti poteris, vel ſpurii, collybifarum inter mercatores, qui Mercurium, Patronum furum, ſibi reddiderunt propitium, his est abſtinendum. Londini vocantur *Mercury-Women*, quas ita deſcribit CRANIERIVS



## §. VIII.

Epilogus.

Opus meum, quod me hucusque mirifice delectauit, iam ad finem ex voto perductum video, steti promissis atque de morbis litteratorum epidemicis meam cum lectoribus communicaui sententiam, et quanquam plura eorum possent enarrari genera, tamen ea reticere malo, quam auctor sublestae fidei esse, peccarem enim contra meum consilium §. I. propositum, et cuiusdam Scholastici famulo. Musaei mei forces pulsante meque relictis omnibus ad opem Scholastico morbo laboranti vocante calatum scriptorium e manu depone propemodum cogor; quod eo lubentius facio, quo audius arripio occasionem *de epidemicis Scholasticorum morbis*, si vestra et bibliopolae voluntas concesserit, quaedam in publicum edendi, quam commentationem alia *de pica elegantiae eruditorum* excipiet, de quibus consilio quaedam pro more in ultima §. dicere et his libellis minari volui. Suscipiatis igitur velim beneuole hanc meam operam, rogo vos atque obsecro auctater tanquam auctor, obtestor tanquam medicus, aggredior tanquam eruditus, qui humaniores litteras, yti vos intellexisse credo, callet.

*Iam satis est: ne me GALENI Scrinia Magni*

*Compilasse putas, verbum non amplius addam.*

*de moribus mulierum c. 12: certaines femmes, qui exposent en vente les nouvelles et autres petits imprimés par le moyen des colporteurs, qui les vendent en détail dans les rues. Apud nostrates eiusmodi relations in conuentibus mulierum, quibus lingua ex beneficio naturae admundum est volubilis, gratis audire possumus.*



Pon Ya 1812 <sup>a</sup>



b. 10. 1. 1. 1. 1.

56.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

DE  
LITTERATORVM EPIDEMICIS  
VE RECTA SANANDI RATIONE  
BREVIS COMMENTATIO

Q V A  
V I R O  
SSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
N N I D A V I D I  
E I C H E L I O  
K R V M H E R M E R S D O R F I O M I S N I C O  
I I PHILOSOPHIAE HONORES

N V P E R  
IN IPSVM COLLATOS  
GRATVLATVR  
AS AMICORVM QVORVNDAM  
A V C T O R E M. Fran<sup>çois</sup>.  
NIO FERDINANDO PHILIATRO  
M E D . P R A C T

---

L I P S I A E  
ERIS VIDVAE LANGENHEMIAE